



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas**

**Antverpiæ, M.D.C XXX III.**

S. Pelagia V. & M. 4. Maii.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

rogo emerfit. Beneficium luculentius fuit, quàm ut illud obscurare invidia vel oblivio posset. Inde posteris quoq; mos traditus est, FLORIANI imaginē cum urnā aquariā in fronte ædium dedicandi. Vos illam, ô juvenes, etiam animis tutelam adsciscite, adversus multò tristiora incendia, quibus libido faces subdit, & perenne pabulum omnes corporis sensus subvehunt. Lingua, manus, aures, oculi, fatendum est, incendiarii sunt animæ. *Ex Sur.*

S. PELAGIA V. & M.

4. Maii.

PELAGIAM Tharsensem Diocletiani Deiq; filius sponsam ambierunt, ille corporis, hic animi pulchritudine captus. Respuit mortalem procum Virgo, & caeleste conjugium præoptavit. Paranympus Clino fuit Episcopus, quem divinitus sibi ostensum inter montium latebras reperit, ubi edocta est, qualis dos afferenda ad sponsum esset. Ea uno verbo innocentia appellatur, quam beati Genii donum PELAGIÆ tulere, cum lustrico fonte, qui ad Clinonis preces è rupe profluxit, tingetur. Augusta præterea Virgo duplici diademate cincta, ut vel hinc terrarum Cæliq; Dominam intelligas, palàm visendam se dedit, velut sanctorum sponsalium Antistes. Non fuit deinde  
diffi-

difficile Pelagiæ hoc virginali mundo  
 excultæ, bombycum fila contemnere.  
 Nimirum non Cæsaris sed Numinis o-  
 culis se compfit, cui in sponsâ cilicium  
 præ purpurâ placet. Sed neque rivalem  
 diu sustinuit Christus; hunc enim an-  
 telarum sibi indignatus Cæsaris filius,  
 versusque ex amore in furorem, gladio  
 pectus transfixit. Diocletianus tamen  
 filium ulturus non fuerat, si Pelagia a-  
 morem à Christo ad se transtulisset.  
 Abhorrentem ab eâ conditione novus  
 Phalaris bovi æreo candenti inclusit, in  
 quo illa, amore veriùs, quàm igne li-  
 quefacta est. Exuvias corporis in Lina-  
 tum montem projectas quatuor leones  
 tutati sunt; Clino in urnam compo-  
 suit, & monti congregationis nomen  
 indidit. Vos Sodales, qui tituli iure  
 reliquiarum hæredes estis, quod in Pe-  
 lagiâ pulcherrimum fuit, innocentia  
 vestem, primo loco votoque poscite.  
*Ex Metaphrast.*

## S. MONICA VIDVA. 4. Maii.

**H**Æc est illa MONICA, quæ Augu-  
 stinum bis genuit, orbi primùm,  
 deinde cælo, secundo quàm primo  
 partu felicior, dum filio pietatem, alte-  
 ram hominis animam, quam cum lacte  
 instillare non potuit, plorando infudit.  
 Hæresi Manichæâ mortalissimâ huma-  
 ni generis peste perierat Augustinus;  
 mater